



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xlix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De presbytero qui confessus fuerit quod ante ordinationem peccauerit. Cap. XLVIII.

SI quis presbyter ante ordinationem peccauerit, & post ordinationem peccatum confessus fuerit, quod ante er-
rauerit: non offerat, sed tantum pro religione nomen presbyteri portet. Si autem non ipse confessus, sed ab alio publicè fuerit cõictus, nec hoc ipsum habeat vt nomen presbyteri portet. Similiter & de diaconibus obseruandum est, vt si ipse confessus fuerit, ordinem subdiaconi retineat.

Ex cõcil. Cabillon. cap. 5.

De eodem. Cap. XLIX.

Presbyter si præoccupatus corporali peccato promoueat, & confessus fuerit de se quod ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis propter studium bonum. Quod si de se ipse non fuerit confessus, & argui manifestè nequiuert, potestatis suæ iudicio relinquatur.

Ex cõcil. Neocæsariensi. cap. 8.

Vt nullus presbyter absque sacerdotalibus vestimentis Missam celebret. Cap. L.

VT nullus presbyter absque amictu, alba, & stola, & fano, & casula vllatenus præsumat Missam celebrare, & hæc sacra vestimenta mundissima sint, & in nitido loco infra Ecclesiam collocentur: nec vnquam presbyter his indutus extra Ecclesiam exeat: quia hoc diuina lex prohibet.

Ex cõcil. Remensi. cap. 4.

Vt clericus inter tentationes ab officio non declinet. Cap. LI. Ex cõcil.

Clericum inter tentationes ab officio declinatem, vel negligentius agentem, ab ipso officio dicunt remouendum.

Carth. cap. 50.

Vt omnis presbyter in sua Ecclesia singulis dominicis diebus aquam benedicat. Cap. LII.

Omibus diebus dominicis quisque presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solennia aquam benedictam faciat in vase nitido, & tanto mysterio conuenienti, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur, & atrium eiusdem Ecclesie cum crucibus circumeundo similiter aspergat, & pro animabus ibidem quiescentibus oret. Et qui voluerit in vasculis suis accipiat ex ipsa aqua, & per mansiones, & agros, & vineas, super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, nec non super cibos & potum suum conspergat.

Ex cõcil. Hannefensi. cap. 5.